



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

II. De custodiendo ieiunio quatuor temporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

P R Æ F A T I O.

IN Dei nomine, ego^b Aribio Moguntinæ sedis archiepi-
scopus, quamuis indignus, cum ceteris confratribus no-
stris & coepiscopis, Burchardo Vvormatiensi, Vverhena-
rio Argentino, Brunone Augustensi, Eberhardo Bam-
bergenfi, Meginhardo Vvirzburgensi, Synodum in Sa-
legunstat condiximus, anno dominicæ incarnationis
°MXXII. indictione v. II. Idus Augusti, anno autem domi-
ni Henrici secundi regnantis XXI. imperii vero VI. qua-
tenus cum communi fratrum prædictorum consilio atque
consultu multimoda diuinorum officiorum atque syno-
daliū legum componeretur dissensio, & disparilitas no-
strarum singularum consuetudinum honesta consensione
redigeretur in vnum. Ideoque propter illas lamentabiles
dissensiones communi decreto Concilii hæc capitula san-
cita sunt.

C A P I T V L A.

I.

Vt quatuordecim dies omnes Christiani ante
festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ in abstinentia
sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediēte,
aut alicuius festi solennitate, quæ in illo episcopo
celebris habetur, intercedente. Et ante natiuitatem
Domini similiter, & in vigilia epiphaniæ, & in om-
nium vigiliis apostolorum, & in vigilia assumptionis
sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentii, nec
non etiam in vigilia omnium sanctorum: adiicien-
tes prædictis vigiliis vnam horam refectiois, ex-
cepta infirmitate, nisi aliquis sit qui proprio voto
maiori abstinentia vti velit.

II.

De incerto autem ieiunio quatuor temporum
hanc certitudinem statuimus, vt si Kalendæ Martii
in

ANNO
CHRISTI
1011.

ANNO
CHRISTI
1022.

in quarta feria siue antea euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam aut sextam aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Iunii in quartam feriam aut antea euenerint, in subsequente hebdomada ieiunium celebretur. Et si in quintam feriam aut sextam aut sabbatum contigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam referuetur. Et hoc sciendum est, quod si quando ieiunium mensis Iunii in vigilia pentecostes secundum prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni pentecostes: & tunc propter solennitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum est, vt si Kalendæ Septembris in quarta feria euenerint, aut antea, ieiunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta aut sexta aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud obseruandum erit, vt proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur ieiunium: quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.

III.

De legitimis autem coniugiis ita visum est, quod nullus Christianus vxorem ducere debeat ab aduentu Domini vsque in octauas epiphaniæ, & a septuagesima vsque in octauas paschæ, nec in supra notatis 14. diebus ante festiuitatem sancti Ioannis

Concil. Tom. 25.

00